



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De ciconia propter adulterium occisa, cap. 60.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

desiderans, vnam ex eis cepit, chartulamque verba hæc continentem; O hirundo, vbi habitas in hyeme, pedi eius alligans abire permisit; sciebat enim experimento, quia semper loca necnon & habitacula solita repeterent. Illa cum cæteris in Asiam veniens, in domo cuiusdã Petri nidificauit: in cuius pede, cum propter egressus vel ingressus quotidianos prædictam chartulam contemplaretur, scire volens quid esset, auem cepit, chartulam legit & amouit, alteramque annectens tali modi interrogationi respondit: In Asia in domo Petri. Quod cum supradictus paterfamilias in reuersione hirundinis suæ didicisset, historiam hanc pro miraculo multis recitauit. De ciconijs verò multa admiratione digna recitare tibi possem, si non ad vtiliora festinarem: Masculi suas feminas valde zelant, adulteria grauissimè vindicant. Habent tamen feminæ vnum remedium satis miraculosum, si ante aduentum sui comparis aquis se immergere potuerit, culpam adulterij ille minimè cognoscit, sicque pœnam mortis euadit.

## CAPVT LX.

**I**n curia cuiusdam militis, sicut à quodam religioso viro veraciter audiui, nidus erat ciconiarum, maris scilicet & feminæ: illa, absente masculino, adulterium admittens, frequenter paludi, quæ domui proxima erat, se immersit. Quod cum miles notasset, causam scire volens, fossam sepibus operiri præcepit. Quid plura? cum illa admissio scelere solitam aquam peteret, nec ei ingressus pateret, interim mas venit, crimè agnouit, adulterã rostro impetiuit: ad cuius interfectionè cum solus nõ sufficeret, cū furore auolàs, & post horã rediens, multis sibi ciconijs associatis, in oculis omnium, qui in curia aderant, miseram interfecit. **A P O L L O N I V S**: Puto istam zelotipiam aliquid in se continere sacramenti. **C Æ S A R I V S**: Bene putas: sæpe enim in scripturis Deus aibus se comparat, cuius sponsa anima fidelis est, adulterium verò omne peccatũ mortale, q̄ ab illo separat, & diabolo cõiungit; aqua baptismus est, & pœnitẽtia, quæ

quæ



quæ semper reiteratur, & culpam abluit, ne Deus illam videat, vel cognoscat ad vindictam. His dictis pro exemplo, etiam de piscibus, qui de eodem elemento, id est aqua, facti sunt, aliquid tibi miraculosi recitabo.

## CAPVT LXI.

*De Piscibus.*

**C**onradus Præpositus sancti Seuerini in Colonia etiam Præpositus erat Xantensis: hic cum tempore quodam ad idem oppidum nauigaret, & manus extra nauim in flumine lauaret, annulus aureus, bonus valde, ex eius digito labens, cecidit in Rhenum. Anno verò sequenti, cum ad iā dictum oppidum iterum iret nauigio, circa eundem locum, in quo annulum perdidit, piscatores obuios habuit, a quibus si aliquos haberent pisces captos inquiri præcepit. Responderunt illi: Habemus\* esotum vnum qui Præposito Xantensi debetur, quem vendere non audemus. Quibus cum dicerent: Ecce Præpositus præfens est, piscem ei obtulerunt. Quem cum cocus exenterasset, annulus præfatus in eius visceribus est reperi- tus: quem cum celare non posset, nec vellet, Præposito eum ostendit; quem ille mox agnouit, & non absque magno miraculo recepit.

\*al. Esotem forte  
Esotem.

## CAPVT LXII.

**S**acerdos quidam & monachus de ordine nigrorum anno præterito retulit mihi de aquis & piscibus rem valde miraculosam. In prouincia, inquit, nostra, sicut hodie multi sunt testes, tēpore quodam omnes paludes & fluenta in sanguinem versa sunt, quorum amaritudinem cum pisces sustinere non possent, relictis aquis, aridam petiuerunt; anguillæ verò sepes ascendentes, illisq; inhaerentes, sic sunt inuentæ: multitudo autem piscium in aquis mortua est, ad instar vnus plagæ Ægypti. Aliquid nūc subjiciam de animalibus & bestiis, quæ in terris gradiūtur, quod miraculosum sit.

CAPVT